

Johann Fecht    Johann Gottlieb Möller

**Joannes Fechtius, Th. D. ... Ad Disputationem Inauguralem Viri ... Dn. M. Joan. Gottlieb Mölleri, Gedano-Prussi ... De Ordine Docendae Theologiae Et Nexu Articulorum Fidei, Pro supremo Doctoratus gradu in Theologia obtinendo instituendam, Ad d. XIX. Maii, horis ante & pomeridianis, ... invitat**

Rostochius: Wepplingius, 1696

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740910221>

Druck    Freier  Zugang



RU theol. 19.Mai 1696

*Feelit, Johann / ed*  
~~Möller, Joh. Gottl.~~







*1696* <sup>*Progr. 1696*</sup> **JOANNES FECHTIUS.**  
Th. D. & P. P. Consistorii Duc. Adless.

& District. Rostoch. Superintendens,  
Fac. Theol. adhunc Actum **DECANUS;**  
*Suo & Ven. Collegii nomine,* 279

**DISPUTATIONEM INAUGURALEM**  
*Virī Perquam Reverendi & Excellentissimi,*

**DN. M. JOAN. Gottlieb MÖLLERI.**  
Gedano Prussi, hactenus Græcæ Lingvæ  
in hac Acad. Prof. P. celeberrimi, nunc Phil. in Athenæo  
Patrio designati Prof. & Reip. Bibliothecarii,

*Bibliotheca  
Academica  
Rostoch.*

**ORDINE DOCEN-  
DÆ THEOLOGIÆ**

**NEXU ARTICULORUM FIDEI.**  
Pro supremo Doctoratus gradu in Theologiâ  
obtinendo instituendam,

*Ad d. XIX. Maj, horis ante & pomeridianis,*

**MAGNIF. ACAD. RECTOREM,** Utriusq; Reip.  
Proceres, Excell. Dnn. Prof. Doctores, Licentiatos, Rev.  
Urbis Presbyterium, Cl. Phil. Mag. & omnem Litera-  
torum ac Stud. Juv. ordinem, quâ par est, observantiâ  
& humanitate invitât.

—————  
Rostochu, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

XV.

*1696*

**Q**Uoniam de fidei tantum mysteriis, in Scripturâ revelatis, sed de ordine quoque eadem proponendi defendendique controversiam in Theologiâ audit moveri, is, qui fieri hoc possit, non immeritò mirabitur, cum de hac methodo in Scripturâ nihil unquam sit expressum, nec verò conveniat, Theologum extra Scripturam vel verbum proloqui, nedum rixis, parum ad ædificationem Ecclesiæ profuturis, contendere. Nam neque ea, quæ historica sunt, (quæ nec alibi nisi temporis nexum habent) neque quæ Prophetica, quæ particulas tantum vel eventuum vel mysteriorum sine certo eorum ordine complectuntur, neque quæ dogmatica, scientiarum methodo incedunt & licet aliquam utique & argumentorum & conclusionum habere connexionem deprehendantur, ceu in Proverbiis Salomonis Systema quoddam Ethices sacræ *Samuel Boblius*, admirandi ingenii in hac quondam Academiâ doctor, & in Epistolâ ad Romanos integræ Theologiæ compendium proponi gravissimi nostrarum partium Theologi docuerunt, nunquam tamen is ordo, qui in hodiernis nostris Systematibus, quamcunque illa methodum sequantur, conspicitur, & de quo nonnunquam non sine animorum motu contenditur, ex iisdem vel fideculis exsculpetur. Quid itaque est, quod supra Scripturam sapimus & de rebus litigiâ movemus, quæ S. literarum neque exemplum habent neque vestigium? Verumenimverò non Scripturam nobis tantum dedit sapientissimus salutis nostræ auctor, sed & sacrum ministerium, hunc ipsum in finem, ut verbum suum, in Scripturâ contentum, proponat, tractet, interpretetur, à falsis glossis defendat, deducatque postremò ad praxin. Dedit enim *Christus alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios Evangelistas, alios pastores & doctores, ad compactionem sanctorum, ad opus ministerii, ad edificationem*

cor-



certis capitibus comprehenso, ne vaga de iis narratio me-  
 moriam confunderet, aut res semel audita in facilem iterum  
 oblivionem diffunderet, excerptum ex eo, quod pro tem-  
 pore revelatum fuerat, verbo, proposuisse? Non credo,  
 ex Judæis primum R. Mosen Maimonidem fuisse, qui Divi-  
 na præcepta in: **יסודי התורה**, certa legis fundamenta  
 digessit, quod libro, **ראש אמנו**, Caput fidei dicto, de eo  
 pronunciat R. Isaacus Abravenel, quem postea imitatus R.  
 Cbasdai, **אור אדוני**, Lumen Domini, & R. Joseph. Albo,  
**עקרי**, Radices fidei exaravit, eidem instituto inservientes:  
 si quidem, quod vult Abrabenel, intentio ejus fuit dirigere  
 homines, qui non sunt solide fundati in scientiâ legis, nec didi-  
 cerunt, aut operam dederunt, quantum illis necesse erat. Ut  
 adeo quia illi non possunt assequi aut comprehendere omnia fidei  
 dogmata & scientias, quas lex divina continet, hinc selegerit  
 Rab, ex omnibus fidei dogmatibus istos articulos magis generales,  
 ut compendiosè doceret ista, quæ habent cætera doctrinæ omnes.  
 An enim ante Maimonidem homines simplices & rudes  
 non dirigendi fuerant ad qualemcunque legis fideique sci-  
 entiam? Annon & tum occurrendum fuerat homi-  
 num infirmitati, qui solam legem comprehendere non  
 poterant, ut saltem præcipuorum non essent expertes?  
 Aut quia ante Maimonidem homines plebei totam legem  
 scire non poterant, omnium singularumque ejus par-  
 tium fuerunt ignari? Quod si ante Maimonidem, cujus ex-  
 mente, **היסודי**, seu fundamenta ista prima potius, **ראשי**,  
 seu: **שרשי**, principia totius Theologicæ scientiæ fuerant, ex  
 quibus cætera omnia tanquam conclusiones deduci pote-  
 rant, (quicquid hic contra sentiat, disputetq; Abarbenel) talis  
 rudimentorum forma nullibi extitit, ex totâ tamen Scripu-  
 râ, pro tempore existente, selectiores: **פסוקי**, versus &  
 sententiæ, præcipuas in se fidei morumq; doctrinâs conti-  
 nentes

nentes, catecheseos ad instar, juventuti fuerunt propositæ,  
 donec ad lectionem totius Scripturæ adducerentur. Et  
 quamquam, qui aliorum apud Judæos olim futuri erant do-  
 ctiores, primitus forte solâ Scripturarum, eâq; frequenti &  
 attentâ lectione, sacrorum sibi notitiam quæsierint, post-  
 quam tamen ad hos libros vel: רגומים, *interpretationes*, vel  
 ביאורים, *elucidationes*, vel: פירושים, *commentationes*, vel:  
 חבורים, *compositiones*; Compendia item & Systemata The-  
 ologiæ, vel Scripturariæ vel Talmudicæ, qualia sunt:  
 ספר חכמה ואורח הקצר, *Hodosophia magna & parva*; ספר  
 משניות, *Liber traditionum*; יד חזקה, *manus fortis*; deniq;  
 disputationes adversus adversarios, נצחון, *Victoria*, מלחמת יהודה,  
*bellorum Domini*, similibusq; titulis insignes, aliaq; id genus  
 acceperunt, quis unquam Judæorum, qui tamen legis suæ  
 ad miraculosam usque religionem observantes semper exti-  
 terunt, tam superstitiosus fuit, ut ob Scripturæ ipsius eminenti-  
 am, & quia hæc talia Systemata & Compendia & Organa  
 nullibi ipsa fabricavit, Jmaginibus his libris uti renueret? Ita  
 & Christianorum libri sacri, quocumq; illi nomine veniant,  
 eas divitias, quas facer codex complectitur, in exhaustas,  
 in partes quasi & areolas, ut mentis oculis separatim savi-  
 terq; dispositæ facilius pateant, distribuunt, nec quicquam  
 in se aliud quam ipsam Scripturam, certo ordini attempe-  
 ratam, quæ, ubicumq; est, Scriptura est, & quocumq; schema-  
 te proponitur, nativam efficaciam retinet, comprehendunt,  
 eoq; ipso, quia ad eam solam ubiq; provocant, ad Scriptu-  
 ram unice ducunt, eamq; in origine legere jubent & prom-  
 ptius expendere. Non ineptè, puto, judicavit, qui The-  
 ologiæ cultores à Compendiis & Systematibus ad solorum  
 Bibliorum lectionem ablegantes iis comparavit, qui domos  
 ædificaturis consulunt, ne ligna trābesq; a magistro jam di-  
 spositas, adhibeant, sed sylvam ingressi arbores ipsi, quam  
 tamen

tamen artem nondum didicerunt, eligant, cædant, conficiant. Causas equeidem sanctissimas habuit Divinus Spiritus, quod plerosque libros Biblicos populari differendi genere, nec observato certo dogmatum ordine, exarari fecerit, sed nec ideo nobis libertatem ademit, dispersos hinc inde in Scripturâ doctrinarum tignos in ordinatum ædificium congerendi, aut si ab aliis id factum fuerit, illâ operâ fructuosè utendi. Præcipuè cum Christianorum tum veterum tum recentiorum consensu id institutum inæstimabilem semper in Ecclesiâ diffuderit utilitatem. Ordo quarumlibet rerum quasi anima est, qui in docendo Ecclesiæ tam est necessarius, quam in agendo, quamquam utrobique à Dei Spiritu non determinatus. Sapienter itaque D. Dav. Chytraeus noster, postquam in Consilio de studio Theologiæ rectè inchoando monuisset:

*Primam discantis post precationem curam esse debere, ut textum Bibliorum sibi familiariter notum reddat, eaque in retres scopos habeat in conspectu: primum ut historias sacras animis infigat, quæ cum naturâ capiunt animos & delectent, facillimè à teneris mentibus retineri possint. Deinde ut sententiâ insigniores, seu testimonia de singulis fidei Christiana articulis & refutationibus errorum consideret, easque ad suos locos communes, qui doctrinam summam continent, aptè referat. Tertiò ut in sententiâ insignibus, iis præcipuè, quæ summam Evangelii continent, singulorum verborum emphases & pondera diligenter & attentè consideret & expendat; tum notanter subjungit, proximum est, ut summam & velut corpus integrum verè de DEO doctrinam coagmentatam ex præcipuis membris, seu locis, certo ordine distributis & perspicuâ oratione explicatis, animo infigat. Cujus rei necessitatem partim ex analogiâ cum artibus humanis, partim Apostoli auctoritate comprobat: ut enim, inquit, Polybius in lectione historiarum jubet ἀπομνημονεύειν & in omnibus aliis artibus initio summa rei, in compendium & methodum*

contracta, traditur: ita maxime in Theologia methodus *ὁμογενή* *μεθόδῳ*, seu ut Paulinâ voce utar, *ἰσοτόπως*, hoc est, certa forma & summa vera doctrina junioribus proponenda est, ad quam omnes sacra scripturae partes dextrè referant & qua mentes eorum veris & propriè ac perspicuè expositis sententiis de omnibus fidei articulis instruat & in omnibus controversiis ac disputationibus iudicii norma sit. Quales doctrinae Christianae typos nonnulla veterum monumenta constituit. Quamobrem firmum fixumque manet, Theologiam nostram, quomocumque consideratam, intra certum ordinem formamque, Acroamaticam verò & perfectiorem methodo Systematicâ, nisi mentem discipulorum studio confundere velimus, doceri debere, nec doceri aliter facile posse. Ut non possint non nobis suspecti esse, qui in Systemata Theologica hodie ita debacchantur, ut nec nomen eorum ferre citra indignationis indicium possint. Quali verò quoad speciem methodo præ cæteris commodissimè accuratissimeque ita tractari Theologia nostra debeat, ut omnium minimè offensionem sit obnoxia & sanctissimæ disciplinae naturam atque indolem proximè exprimat, de eo sine animorum exacerbatione me iudice liberè disputari potest. Quod si quandoque Theologi nostri in serium eâ de re certamen cum quibusdam descenderunt, id inde factum est, quod hi in constituendo articulorum ordine fidei analogiam lædere, & ut exemplum ejus rei adducam, in medium censum, quæ ad summum hominis finem, æternam animarum salutem, ducunt, bona quoque opera referre visi sunt. Cui vel dogmatically loquendi rationi, ob nativum, quod in se habet, seducendi periculum merito obstititur. Laudandi autem ii sunt, qui de tali Theologiae nostræ methodo solliciti eo cogitationes suas conferunt, ut & illa ab omni prorsus offensione sit immunis & articulorum nexum ita clare

re

rè repræsentet, ut Theologiæ cultor illâ probè inspe-  
ctâ, & comprehendere facile univerſam ſcientiæ The-  
ologiæ œconomiam & quæcunqve ſub obtutum ſe ipſi  
us offerunt, ſine negotio reterre queat ad naturalem arti-  
culi ſedem. Quod vix dici poteſt, quantum ſubſidii  
adminiculique adferat ad hauriendam ſolidam rerum ſa-  
crarum nôtitiã. Primus eſt, quantum nobis conſtat,  
Perq. Reverend. & Excellentiffimus Dn. Candidatus, (cu-  
jus gratia hæc præfati ſumus) qui non tantum huic dif-  
quiſitioni datâ peculiari operâ nervos intendit, ſed eâ i-  
pſâ etiam in re tam felici uſus eſt ſucceſſu, ut omnibus ve-  
ritatis in hoc argum. entro cupidis eximie citra dubium ſit  
placiturus. Natus iſt eſt Gedani, Prusiæ metropoli. d. IV.  
Jan. An. M. DC. LXX. St. N. Patre *M. SALOMONE*  
*MOELLERO*, ex inclytis ibi Mœllerorum Wahliorum-  
que familiis oriundo, Templi ad SS. Trin. primum Di-  
acono, dein ad S. Joh. Paſtore; viro ob ſingularem ex-  
cellentemque eruditionem ad Academicas, aliasque  
functiones expetito, niſi ſummum amorem, quo ipſum  
Johannæa Eccleſia protecuta eſt, officiorum ſplendori  
præferre maluiſſet. De quâ verò ita præclare meritus  
eſt, ut Homiliarum ſimul in aliorum uſum & ſcripſerit  
& reliquerit theſaurum, cujus ſpecimen haud ita pridem  
à Filio editum, quid de cæteris judicari par ſit, luculento  
indicio prodit. Ereptus Filio præproperâ morte, eoque  
tempore, quo ipſo tanquam ſtudiorum ſuorum duce ma-  
xime indigebat, Anno Chriſti M DC LXXXVII. ætatis  
verò XLVII. Matrem ipſi ad hunc uſque diem in ſingulare  
ſolatum. urinam ad ſeros uſque annos, reliquit *AN-*  
*NAM KOENINGIAM*, ex Nobiliſſimâ Koenigiorum &  
Dominorum de Lindâ ſtirpe proſaram, Matronam o-  
mni-

annibus sexus sui virtutibus condecoratam. Studiorum  
 tyrocinia sub Præceptore primum privato, *LAURENTIO*  
*CARMONIO*, in hoc iplo nunc Ducatu Ecclesiæ Hano-  
 viensis Pastore, vicinæque Synodi Seniore, viro perquam  
 docto, veræque pietatis studio, dein in inferioribus  
 Gymnasii curiis, tum verò, translato ad Johannæam  
 Ecclesiam Parente, in scholâ Marianâ, operâ usus fidelissi-  
 morum doctorum, *KRIEGIO*, *WEBERO*, utroque cum  
 juventutis emolumento adhuc superstite, *CRUSIO* item,  
 nunc inter cœlites agente, feliciter posuit. Exacto in  
 iis quinquennio Gymnasio insertus *JOACHIMUM HOP-*  
*PIUM*, nunc Reip. Syndicum, *SCHELUGIUM*, *BYTH-*  
*NERUM*, *BUGHERUM*, *SCHULTZIUM*, *JO. CHR.*  
*ROSTELSCHERUM*, (cui nunc successor datus est) &  
*BEHRUM*, Viros excellenter eruditos, *Titium* item,  
*WOLFG. ROSTELSCHERUM* & *HEISEUM*, cœlestibus  
 gaudiis insertos, ita per integrum quinquennium audivit,  
 ut compositam à se de *Materia S. Baptismi cum cœlestium*  
*terrestri* Disputationem, Præsidente celebratissimo Theo-  
 logo, *D. SAMUELE SCHELUGIO*, masculè defende-  
 ret, & paulò post in Regiomontanâ Academiâ, com-  
 pellatis clarissimæ tamæ Professoribus, ex Bibliotheca-  
 rum penu, quicquid futuro usui inserviebat, sollicitè cor-  
 rogaret. Quod cum ad matrem redux & in Paternâ fe-  
 cisset, dispositis rebus suis & visis in itinere Academijs ur-  
 bibusque Kilonium adiit. Receptus in hospitium immor-  
 talis gloriæ Theologi, *CHRIS. KORTHOLTI*, sub ejus  
 manu ductione privatâ publicâque cursum & Philosophi-  
 cum & Theologicum absolvit. In Theologiâ Polemicâ  
*D. FRANCKII*, in Exegeticâ *D. OPITII*, in Historicis  
 )( (

& ele-

& elegantiori literaturâ magni *MORHOFII*, *MAJORIS*  
item & *REIHERI*, in Philologiâ & Homileticis *HASENMUL-*  
*LERI* operâ usus est. Sed & studijs (exercitijsq; Academicis,  
(verba refero D. Kortholti) tantâ sedulitate & alacritate vac-  
cavit, ut quos in ijs Dei gratiâ fecisset progressus, palam multo-  
ties ostendere non dubitaverit, dum videlicet præter disquisi-  
tionem de Actionibus Forensibus, duas qve de Votus Monasticis, à  
seipso erudite elaboratas, Disputationes, Theses etiam meas,  
qva de omnibus Theologiæ capitibus descripta sunt, XXVII. Di-  
spulationibus publicis maximo cum omnium applausu defendit.  
Opponentium insuper subsellia frequenter occupavit & ex sugge-  
stis etiam Ecclesiastico sacra eloquentiæ specimina non minori cum  
successu aliquoties edidit. Quibus omnibus cum & singula-  
rem pietatem, animi probitatem, morumqve suavitatem ac mo-  
destiam, aliasqve virtutes eximias conjunxerit, (quas pro-  
lixiori encomio in Epistola de honoris Philosophici gradu  
gratulatoriâ, recensuit Kortholtus) tantopere sibi laudatissi-  
mum Theologum devinxit, ut filij instar ipsum sibi sem-  
per fuisse & speragrè tam chari pectoris discessum se ferre, te-  
staretur. Exin perlustratâ Holsatiâ, Theologo *Βιβλικωτά-  
τω* *H. C. SANDHAGENIO*, nec non *PECHLINIO* & *MULLE-*  
*RO*, Hamburgi *EZARDO* alijsqve, præcipuè *D. J. F.*  
*MATERO*, cujus & convictu usus est, innotuit. Qui juve-  
nem, in ornamentum seculi natum, his verbis literarum  
fautoribus, Theologis præcipuè, commendavit. Non  
privatis tantum colloqvjs cultissima viri virtus, quando ego Ki-  
lonij aderam, sese continebat, sed egressa in publicum miscere  
mecum in conflictibus sermones eruditos, conferre sententiam  
animi & quantum in certamine docto valeret, hoc demum cum  
adplausu audientium declarare subinde & testatum reddere vi-  
debat.

debatur. Ego quod tum temporis saepe passus sum, nunc repe-  
 rere, & confirmare nullus dubito, quod hunc juvenem, in conspe-  
 ctu eruditi orbis positum, dignum iudicem, de quo praesume-  
 re omnino liceat, quod magnum aliquando decus in patriam,  
 emolumentum verò in sacrum DEO gregem penitus insigne colo-  
 laturus sit, ut gratulari propterea Gedanensium Reip. de Orato-  
 re sacro planè egregio, Ecclesiae orthodoxae autem felicem promit-  
 tere atletam possim. Hoc tanti Theologi iudicio ornatus,  
 comitibus GABRIELE FRIDERICO & HENRICO Ehren-  
 fried SCHUMANNIS, Patricijs Gedanensibus jam præ-  
 cipuis, Illustris Viri GABRIELIS SCHUMANNI, S. R. M.  
 Poloniarum Burggrabij eminentissimi & Præ-Consulis  
 Dantiscani, summi Candidati nostri Mœcenatis, Filijs,  
 in amplissimam lætissimamq; Patriæ Parentumq; spem  
 efflorescentibus, in Daniam Sveciamq; profectus est, in  
 consuetudinem maximorum utrobique virorum admis-  
 sus; ibi BAGGERI, LASSENIJ, MASIJ, WANDA-  
 LINI, BRUNSMANNI, WINDINGIJ; hic SWEBILIJ,  
 BENZELIJ, GERTHRIJ, SCHUITIJ, PAPKIJ, SCHU-  
 ZIJ, MICRANDRI, PETRI & OLAI RUDBERIORUM,  
 BILBERGIJ, OBRECHTI, LINNERIJ, SALENIJ, alio-  
 rumq; & quibus singularem in se affectum MASIJ, LAS-  
 SENIJ, SWEBILIJ item & SCHUZII dilaudat. Re-  
 versus in Germaniam Rostochium nostrum intravit, no-  
 men suum inter Academiae Cives professus Rectore CHRI-  
 STOPHORO RHEDEKERO, Jcto, nunc urbis nostræ  
 Consule, Viro non minus summâ Regendæ Reip. pru-  
 dentiâ, quam rarâ admirandaqve animi integritate in-  
 clyto, quo optimo indefessoqve Patrono adhuc usque  
 diem gavissus est nôster. Favitqve occasio, ut pri-  
 mo statim anno JUSTUM CHRISTOPH. SCHOMERUM,

X X2

in

incomparabilis ingenij & iudicij virum, cujus iacturam nullis satis lacrymis deflere hæc Academia poterit, in Theticis, Polemicis, Exegeticis ac Moralibus, me verò, (qui jam olim in Academiâ Witteb. cum B. ipsius Parente, convictus societate apud Celeb. D. JOH. MEISNERUM mihi juncto, familiarissimam colueram amicitiam, huncque affectum, rogatus etiam sollicitè D. KORTHOLIO, in ipsum meritò libentissimeque derivaveram.) in Symbolicis, Exegeticis & Historico-Ecclesiasticis audire posset & privatâ utriusque conversatione frequentissimè uti. Videbatur nunc tempus esse, ut quas congesserat acris studio, variarum doctrinarum opes & transtunderet in alios. Itaque nomen suum inter Magisterii Candidatos Anno M. DC. XCIII. professus, examen quidem Rostochi subiit, honores verò, indultu Philosophorum ordinis, invitante ad festivitatem Jubilæo Svecico, Gryphiswaldiæ suscepit. Quos brevi carmine CHRIST. SAALBACHIUS, Vir Clarissimus, in magno aliorum numero ita ei gratulatus est, ut majorib. dignum judicaret:

*Mællero debet Phœbus majora; sed impar  
Qua non dat merito, non tamen illa negat.*

Vix renunciatus Philosphiæ Magister cathedram Philosophicam Gryphisvaldiæ Præles adscendit, deque nomine Lutheri disputationem proposuit, defenditque. Quod & huc delatus, ne inanem titulum gerere videretur, sine morâ continuavit, institutis Collegiis privatis in diversas Philosphiæ partes, editisque dissertationibus pluribus: *Decadem observationum Miscellanearum; De Colloquiis Lutheri Mensalibus; de Epistolâ Clementis ad Corinthios*

*thios, De Vita Lutheri*, aliaque similia argumenta com-  
 plectentibus. Cumque Theologiæ sese totum à pueritiâ  
 devovisset, inq; eo etiam studii genere vires suas docendo  
 & periclitari & roborare è re suâ duceret, à R. Faculta-  
 te Theologicâ & submisit petiit & intuitu variorum, quæ  
 jam antea ediderat, spiciminum, facile obtinuit, ut &  
 in privatis scholis Theologiam ad ductum libelli celebris  
*D. Valent. Alberti: Interesse religionum dicti*, nec non Me-  
 thodum Homileticam, tabulis, typis impressis, inclusam  
 traderet, sed ut pro more Academiæ nostræ Præses qui-  
 dem, sed tamen sub moderamine alicujus Theologi, (quod  
 iis tantum ad alios ad similes conatus laudisqve æmula-  
 tionem inflammandos conceditur, quorum & excellent  
 præ aliis Theologica eruditio & quam variis jam specti-  
 minibus publicè testatam reddiderunt) disputaret. Fa-  
 ctum id cum eximio Academiæ applausu in materiâ;  
*De Luthero Lutherano ante Lutherum, de Luthero Confesso-*  
*re, de Luthero Martyre, deque Auctoritate scriptura* (ar-  
 gumento in quatuor disputationes diffuso) quas sub  
 moderamine venerandi Facultatis nostræ Senioris, *Dn.*  
*ANDR. DAN. HABICHORSTII*, meoque defendit, de-  
 fendissetque adhuc plurimas per universam Theologiam  
 alias, nisi gravi morbo primum, dein privatis scholis,  
 magnâ studiosorum frequentiâ visitatis, tum itinere in  
 patriam suscepto fuisset impeditus, in quo tamen ipso,  
 unâ cum sex Cl. commilitonibus, visis Stettino, Regio-  
 monto, Francofurto, Berolino, aliisque urbibus &  
 compellatis viris doctrinâ conspicuis, illustri inprimis  
*RUFENDORFIO*, non exiguum pondus suæ suorumque  
 eruditioni adjecit. Erat in animo & alia per Germaniam  
 regnaq; extera peregrinatio, nisi vincula ei quasi injecisset

X X 3

Di-

Divina manus, oblatâ ei ab Amplissimo hujus urbis Senatu  
Græcæ Linguae Professione, cui ideò morem gerere sancto  
obsequio apud se statim decrevit, quod cum paulò ante ho-  
norigam functionem Ecclesiasticam, cum Ecclesiarum gu-  
bernatione & Consistorialibus consiliis conjunctam, B. Kort-  
holto operam ad id suam conferente, ad se delatam, modestè  
recusasset, morbis, cum extremo vitæ periculo connexis,  
tentari se à justo Numine sensisset, Igitur officium Inaugu-  
rali oratione die XIV. Junii. MDCXCIV. *de amplissimis Luthe-  
ranorum in Græcam Literaturam meritis, quibus illi gloriam eru-  
ditionis omnibus aliarum religionū sociis non dubiâ modo reddunt  
sed penitus etiam præcipiunt,* auspiciatus, lectionibus cum pub-  
licis tum privatis ad Græcum N. T. textum, Pericopas item  
Evangelicas & varia Philologica, è quibus *septenarium* pub-  
licæ luci exposuit, ut auditoribus suis omni modo prodesset,  
ad laboravit. *Quem in finem & 70. HENRICI BOE-  
GLERI Historiam primorum seculorum Universalem,*  
privatis Lectionibus illustratam, ventilatamque XII.  
Disputationibus, una cum mutuis Sarpii & Casaubo-  
ni Epistolis, Disputationem item Historicam de Vitâ  
Lutheri, publici juris fecit. Inter hæc magni Patroni  
svasu, clarissimæ spartæ destinatus, aditum à R. Fa-  
cultate nostrâ ad examina Inauguralia honoresque in The-  
logiâ summos & modestè petit & quod petierat, omni-  
um consensu, dona viri meritaque hætenus enarrata  
respicente, impetravit. *Quam verò rem ad hoc us-  
que tempus ex verecundiâ distulit, donec Divinâ ad-  
gubernante providentiâ, die III. Febr. hujus ipsius,  
quem nunc agimus, anni, à Nobilissimo Senatu Ge-  
danensi, præviâ legitimâ electione, ad Philosophiæ in  
Patrio Gymnasio Professionem, Præfecturamque pu-  
blicæ*

blicæ Bibliothecæ, vocaretur. Ægrè à nobis discedit, qui Academica studia tenerrimo amore perpetuò complexus est, qui ab inclyto Urbis nostræ Senatu insignibus semper favoris sui documentis affectus vix & quasi ad tempus tantum dimittitur, qui denique è complexu celeberrimi Jcti, D. JOANNIS KLEINII, cujus in se & affectum planè singularem & complurima beneficia, cum & mensa ipsius uteretur, memori animo deprædicat, nonnisi cum dolore abstrahitur, parendum tamen Divinæ voluntati esse judicat, abscedetqve ex Scholâ nostrâ, quam plurimis utilissimisqve laboribus hætenus exornavit, quamprimum se Decano lectissima Juvenum eruditorum corona Doctoratus Philosophici decus in solenni Panegyri fuerit adeptus. Nos quoqve, qui in hac Academia docemus, amantissimum nostri & juventuti Scholasticæ utilissimum Collegam, ut ægrè amittimus, ita cum refragari Divinæ dispositioni nequeamus, de eo saltem nobis gratulamur, quod ex sinu nostro subinde prodeant, per quos alibi terrarum res literaria promoveri & Ecclesia pariter resqve publica ornari possit & amplificari. Antiquissimum hoc institutum est & consuetudo inde à primis Ecclesiæ incunabulis ad nos derivata, ut scholarum Ecclesiarumqve doctores, prout publici egregii commodum id requiret, de loco transfirent in locum. Est manetqve Servator noster supremus Ecclesiæ suæ pastor, inqve gloriâ suâ Rex herusque noster, cujus providentiæ & voluntati figere terminum nemo potest, quin pro lubitu suo transponere sancti agri sui plantas & vineæ suæ operarios nunc huc collocare nunc illuc, prout è re suâ esse viderit, queat. Hæc potissimum Academia nostra jamdiu est, quod seminarium veluti quoddam audit doctorum

etorum, hinc inde in scholas Ecclesiasque aliarum regionum translatorum. Ipsummet *KORHOLTUM*, qui Candidatum nostrum quasi totum formavit finxitque, Kilonium à nobis accepit, quemadmodum & *MORHOFLUM* & *WASMUTHUM* & *MARCHIUM*. Et quæ Academia non aliquando aliis scholis Academicisque Doctores suos concedit? Id itaque unice optamus precamurque, ut non minore alibi cum fructu, quam qualem hic loci uberem sensimus, doceat *MOELLERUS* noster, viresque cum corporis tum animi eam in rem viro optimo semper sint infractæ, vegetæque. Admissus nuper à Facultate Theologicâ ad examen rigorum desiderio nostro ex asse satisfecit. Nunc & Inauguralem proponit Disputationem, ut non nostro tantum sed totius universitatis iudicio honore ipsi destinato dignus iudicetur. Huic ut ad diem Martis proximum, qui erit *XIX. Maji*, horis ante & pomeridianis præsentiam suam honorificam concedere velit *MAGNIFICUS ACADEMIÆ nostræ RECTOR*, utriusque Reip. Proceres Civesque & quotquot literarum studiis, sacris imprimis, benè cupiunt, meo & Collegii Theologici nomine, observanter studiosèque oro rogoque, studia cum Facultatis nostræ, tum præcipuè Excellentissimi Candidati, in omnes singulosque propensa, qualibet aliâ occasione prompta parataque pollicitus. Valete.


P. P. Rostochii, sub Fac. nostræ Sigillo,  
Dominicâ Rogate, A. *MDCXCVI*.











blicæ Bibliothecæ, vocaretur. Eg  
qui Academica studia tenerrimo amo  
plexus est, qui ab inclyto Urbis nost  
bus semper favoris sui documentis at  
ad tempus tantum dimittitur, qui d  
celeberrimi Jcti, D. JOANNIS K  
se & affectum planè singularem & c  
cia, cum & mensa ipsius uteretur,  
deprædicat, non nisi cum dolore ab  
tamen Divinæ voluntati esse judicat  
Scholâ nostrâ, quam plurimis utiliss  
hactenus exornavit, quamprimum  
ma Juvenum eruditorum corona D  
phici decus in solenni Panegyri fueri  
quoque, qui in hac Academia docem  
nostri & juventuti Scholasticæ utilissim  
ægrè amittimus, ita cum refragari l  
nequeamus, de eo saltem nobis grat  
sinu nostro subinde prodeant, per q  
res literaria promoveri & Ecclesia pa  
ca ornari possit & amplificari. Antic  
stitutum est & consuetudo inde à p  
cunabulis ad nos derivata, ut scholaru  
doctores, prout publici egregii comm  
ret, de loco transfirent in locum..  
vator noster supremus Ecclesiæ luæ p  
riâ suâ Rex herusque noster, cujus  
luntati figere terminum nemo potest.  
suo transponere sancti agri sui plantas  
rarios nunc huc collocare nunc illuc  
esse viderit, queat. Hæc potissimum  
jamdiu est, quod seminarium veluti c

discedit,  
ò com  
insigni-  
& quasi  
mplexu  
ujus in  
benefi-  
animo  
endum  
que ex  
poribus  
lectissi-  
Philoso-  
Nos  
simum  
am, ut  
ositioni  
vod ex  
rarum  
publi-  
noc in-  
fisiæ in-  
umque  
equivire-  
ve Ser-  
ve glo-  
& vo-  
lubitu  
e ope-  
re suâ  
nostra  
dit do-  
orum

